D

LONGA

ANTE-DILV

PRA

V I

MAXIME REVERENDO

IOANNI C

DO

PRIMARIO IN AVLA

BRVNSV. ET L

ORACVLORVM DIVI

PIETATIS CVLTV PLANE

CLIMACTERICVM

QVEM VIIII. CALEND.

INGRE

SEXAGESIMV

PII OFFIC

GRATV

DISCIPLINAE SAN

WILH. CHRISTIANVS

E

EBERHARD GOTTLI

HALAE IN

FORMIS H

DE

[A]EVITATE

[ANTEDI]LVVIANORVM

PRAEFATI,

VIRO

[REVER]ENDO ATQVE AMPLISSIMO

[D.] I CONRADO

[D]OVIO,

[IN] AVLA SERENISSIMAE DVCIS
[BRVNSV.] ET LVNEB. VIDVAE
[SACRORV]M DIVINORVM INTERPRETI

[AMORE] PLANE SINGVLARI PROSEQVENDO

[CLIMACTER]ICVM AETATIS ANNVM,
[QVEM] [K]ALEND. SEPT. A. CIϽIϽCCXXXXI.
INGREDITVR,
[SEXAG]ESIMVM TERTIVM
OFFICII CAVSSA
GRATVLANTVR,

[ET ARA]E SANCTIORI LITANTES

[FRIDERICVS IOH]ANVS IVSTVS CHRYSANDER
ET
[IOHANNES GO]TTLIEB HENRICVS DOVIVS.

[SALIA]E IN HERMVNDVRIS

[TYP]IS HENDELIANIS.

*** *** ***

QVod *puerperia* luctuosis questibus, *funera* vero cantu atque tripudiis persequi, seruarint olim solemne Thraces *(a)* virtutis fuisse, quin egregio respondere concentu aureae illi sapientis Hebraei sententiae: *(b) dies, quo denascimur, ei quo nascimur, praestat,* iudicauerit forte non nemo: sed hic esset fere, qui partim in historiarum hospes monumentis pensi non haberet, summam *barbariem* seu ruditatem, &, quae eius non potest non comes esse *vitiorum* tantum non *omnium* turpitudinem tam infami huius gentis nomen notasse macula, *(c)* vt dementiae potius atque crudelitati ista eius consuetudo danda sit, partim immemor, quod *prouerbia* non nisi *ex parte* sint *vera*, verum huius euiscerare sensum nesciret. Quum enim earum veritatum omnium, quas diuinissimae propioris reuelationis tabulae propositas exhibent, suo vnaquaeque inconcusso firmissime innixa fundamento, aptius cum reliquarum singulis connubium colat, quam vt altera confligere

re

(*a*) Thracia, *τραχεῖα*, aspera, montium atque siluarum situ cum radibus hominum ingeniis mirifice consentiente. Herodot. Terpsich fol. m. 150. Edit. Hervag. Basil. Τὸν *μὲν γινόμενον περιιζόμενοι οἱ προσήκοντες ὀλοφύρονται, ὅσα μιν δεῖ, ἐπείτε ἐγένετο ἀναπλῆσαι κακὰ, ἀνηγεόμενοι τὰ ἀνθρωπήια πάντα παθέα.* Τὸν *δε ἀπογινόμενον παίζοντες τε καὶ ἡδόμενοι, γῇ καλύπτουσι, συνλέγοντες, ὅσων κακῶν ἐξαπαπλλαγθεὶς ἐστὶ ἐν πάσῃ εὐδαιμονίᾳ.* Perinde quasi de Heracliti Pythagoraei (circa Olymp. 69.) moribus fama aliquid ad ipsos pertulisset, qui miseriam humanam contemplatus, a lacrymis sibi temperare numquam potuit; sed rectius lacrymantis *instar* eum fuisse dixeris, ie natura tristiorem, & quum ab hominum consuetudine se remoueret, aspertimum. Atrae bilis in eo abundantiam testatur liber eius *de natura* vnde nomen τοῦ *σκοτεινοῦ* ei haesit.

(*b*) Cohel. VII. 2. concinit Paulus Phil. I. 23. Socrates quoque *θαυμαστὸν* mortis *κέρδος* crebris sermonibus vsurpauit.

(*c*) Flor. Lib. III. c. 4. *Partus grauidarum extorserunt tormentis, litarunt diis sanguinem humanum, biberunt in ossibus capitum. Perfidiae* in Abderitas & Beotios exemplum habes apud Diod. Sicul. p. 475. edit. Stephan. Strab. L. IX. pag. 227. *Auaritiae*, (quae facillime contra sobolem, non sine sumtu educandam, odium conflat) in rapinis Herodot. l. c. Libr. V.

re cum altera, nedum tollere ſe queant inuicem; (*d*) & vita humana tanto magis numeranda in primis Dei ſit beneficiis, quanto minus vllam, ea ſine, hominis felicitatem cogitare liceret: dubitari profecto non poteſt, quin ea tantummodo aſſerat diei fatalis prae natali praeſtantiam hoc comma ſacrum, qua vitae *iam* diuinitus *acceptae* ac bene collocatae optabilia praemia referendo, beatiſſimaeque caelitum ciuitati nos adſcribendo, conditionem noſtram, vti immunitate a periculis, ita mirificis commodorum acceſſionibus mactam, euexiſſe in melius dicendus eſt. Si igitur nihil diceretur aliud, niſi homines ad omnia omnino, quae ad ſe a ſupremo Numine proficiſcuntur, beneficia, gratae mentis cultu agnoſcenda ſanctiſſimis legibus adſtringi: illud tamen, ni fallimur ſatis in comperto eſſet, vt gaudium, naſcente ſocietatis humanae conſorte, ſuſceptum reprehendi poſſit, tantum abeſſe, vt, recurrentibus quotannis natalibus vel renouare illud ſubinde ſignisque prodere dignum exiſtimari debeat laude officium.

Sed, quemadmodum qui ſuam ex ſalute virorum de re communi haud vulgariter meritorum perceptam laetitiam eorundem in natalitiis teſtatam facere opportune geſtiunt, hoc per ſe iuſtiſſimo pietatis munere, iuſtius tamen defungi, immo vero, quando iis id praeſtant ſenibus, (certe bullis, ſi qui alii,) non tam *ipſis gratulari*, quam *DEO*, a quo natales cuiusuis eorumque reditus pendent, *gratias agere* putandi ſunt: ſic nos quidem reſtaurandam natalis TVI, VIR MAXIME REVERENDE, memoriam iam concelebraturi, dum noſtra caſtiſſima, quibus vitam TVAM cum incolumitate expoſcimus, vota plauſibus virtuti TVAE debitis adiungimus, vix ad praetexendam inſtituto noſtro cauſſam aliquid extra hoc vnicum praemittendum eſſe arbitramur, non facere, religionem fuiſſe. Siue autem annorum (*e*) Pyliorum TIBI apprecandorum ampullas auguraris, ſiue, quam natiua quaedam pulchritudo, quam pigmentorum artificium, quam ſententiarum decus commendet, orationem exſpectas, ſiue laudum TVARVM praeconium metuis: omnino falleris. Harum enim ſingularis modeſtia TVA, cui vim facere nolumus, impatiens eſt; illa tum circumſcriptiſſimi temporis ratio, tum virium tenuitas nobis interdicunt; iſtas vero

(*d*) Contradiceret ſuo lemmati ipſe ſapiens doctor Cohel. VIII. 4. itemque P[s.] CXXXIX. 14. & ipſum creationis diuinae opus.

(*e*) Homer. Odyſſ. V. v. 245. τρὶς γὰρ δή μιν φασὶν ἀνάξασθαι γένε' ἀνδρῶν.

effundere si vellemus, poteramus quidem hoc nomine sat in TE videri pii, sed, quidquid est domi cachinnorum, paratum haberet quiuis in voti tam inanis vindices. Praebeto tamen haec formula ansam argumenti, de quo more vaterum confabulationem hoc ipsodie TEcum habeamus, eo magis exoptandam, & quum datur, arripiendam, quia non solum copia mihi exsistit, diutius TEcum agendi, quod libentissime facimus; verum quia TV etiam senex, senex dico? immo vero is es, qui, pro decumati acumine iudicii, errantes potes in viam reducere.

Enim vero, qualis esset in foro, si qua *indicta caussa* ferretur sententia, praepopera videlicet, in considerata, &, si non plane iniusta, tamen ob immaturitatem, &, quod coniunctum temeritati est, erroris perdendaeque operae periculum, satis iniqua: talis sane, imprudens, puta, & praeposterus futurus erat in *disquirendis rationibus* illis labor, quae per duas primas saeculorum decurias admirandam aetatis *granditatem* hominibus consciuerint, nisi huius ipsius *veritas* contra eos satis *certa* praestitueretur, qui facile sunt adeo Carneades, eam negare vt ausint. Posita igitur Scripturae Sacrae, cuius testimonium vtramque paginam hac in re facit, diuina origine, diuinisque, quae inde resultant, virtutibus, calculus recte subductus totum, credo, negotium expediet; id est, simul ac demonstratum iuerimus, *Mosen* Gen. V. *per annos tantum temporis spatium innuere, quanto nos quemque terminamus:* tum demum extra operae dispendium ad *caussas* tantae *longaeuitatis* progredi licebit.

Quum idem sol, qui ab ortu ad occasum delatus intra 24. horas totum terrae globum illustrat, vniuersa autem stata itinera 365. diebus 5. horis & 49. minutis ab occasu ad ortum, cursu obliquo, emetiendo, nobis Europaeis temporum maiora discrimina definit, patres Asianos antediluuianos olim aspexerit; & ii olim indagandis rerum naturis studiosissimi, sine dubio *(f)* epocham suam; haud paullo magis ex sole, principio lucis atque sol-

---

(*f*) *Annum quidem alii populi aestate vnum determinabant & alterum hieme, alii quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres; quidam lunae Senio vt Aegyptii, itaque apud eos aliqui & singula millia annorum vixisse produnt* Plin. Hist. Nat. Lib. VII. c 48; sed plane dissimilis est ratio prudentiorum Hebraeorum, penitiori naturae cognitioni vacantium & ad maiora quoque temporis interualla attendentium. De Aegyptiis Plinius modo coniectat, nexu interprete, & diserto teste Diodoro Sic. pag. 15. de Aegypt.

ſolſtitiis, *(g)* quam coeco lubitu deriuarint: *(h)* exiſtimare fas eſt, ei temporis ſpatio, quod nobis anniculum eſt, *(i)* ſuum annum incluſiſſe, potius, quam alii, ab ipſa natura non ita determinato & commendato. Quamquam haec ratio poſſet in dubium vocari, niſi praeter plurimas ceteras etiam ab hac ſuffulciretur, quod, quum *fide digni ſit* rerum geſtarum *ſcriptoris*, vt ſibi per integram hiſtoriae telam *conſtet* atque *congruat*, Moſes ſpectatiſſimae dexteritatis auctor non gradu ſed praecipiti ſaltu a calculi ſui tenore temere deſciuiſſe videretur, ſi in deſcribenda catarracta, in totum terrarum orbem deſaeuiente, aliam adhibuiſſet menſuram, quam qua antea (Gen. V.) vitas patrum complexus erat. Iam, quum dierum rationes, quas in diluuii recenſione contulit Moſes, ſatis ſuperque teſtentur, dies 30. ad menſem, & 12. menſes ad annum pertinuiſſe: *(k)* prono inde fluit alueo, hac lege vitae annos Patriarcharum eſſe intelligendos. Non ſecus enim ac ii, qui mappas chronologicas adornant, confunderent lectoris animum ſi non iugi aequalitate tantundem annorum in tantudem forulorum referrent, Moſes perplexam, obſcuram & inutilem feciſſet ſcriptionem ſuam, ſi non iisdem annos quosque ſpatiis metiretur, dum ne conie-

---

(*g*) Igitur Atlantii Vranum, ſeu caelum primum, ſibi regem, primum anni rationem edocuiſſe perhibent. Diod. p. 132.

(*h*) In philoſophica lingua Hebraea, vbi rerum denominationes *eſſentiales* ſunt, & *ſententioſae* שׁנה *annus* ab *iterando* non videtur appellatus, niſi ratione habita certorum, quos ſol numquam transgreditur, *terminorum*, ie tropicorum cancri & capricorni, quibus *attactis*, ſolis fit converſio, iteratur annus & in ſe ſua per veſtigia reuoluitur. Ei cognatum פנה *reſpexit, vertit ſe* ſol nempe, percurrens XII. ſigna, & ad punctum vnde digredi coeperat reuertens. *Annus* ſeu *anus* ab ἀνανεȣ͂σθαι dictus, proprie *circulum* ſignificat, ſeu *orbem magnum;* tum quia ſine hiatu *continuus* eſt, tum quia *diebus ſingularibus* conſtituitur, vti in extremitate orbis ſiue volutati ſiue reſidentis *vna* tantum puncta attactus *vnis* ſuccedunt, tum ob *fugacitatem;* inde *annullus* & *anellus*. Varro de L. L. 5. 2.

(*i*) Si vel ad lunae circuitum aeram ſuam deſcripſiſſent, intra 29. ½ dies abſoluendum, adeo, vt quidam menſes 29. (cavi) quidam 30. (pleni) dies expleuerint: quadraret tamen cum noſtra hodierna; ſiquidem menſis vnus poſtea Veadar, ie iteratus Adar dictus, τȣ͂ Schebat pediſſequus, intercalari ſolebat.

(*k*) Gen. VII. 11. coll. VIII. 3, 4. Ante exitum ex Aeg. anno *ſolari* vſi ſunt Ebraei, qui & *magnus* audit, vti *lunaris minor*.

iectura quidem poſſet informari, quid voluiſſet. Quantum vero huic argumento robur accedit, ſi cum hac hiſtorici integritate, &, quae cadit in hiſtoriam, congruentia *rerum* tam operoſe narratarum *grauitatem* & auctoris primarii, *DEI ſcopum* comparamus? in eo poſitum, vt habeant non modo veram originis huius vniuerſi & memorabiliorum euentuum in eo a primis inde rerum initiis ſeſe excipientium ideam & quaſi *tabellam* mortales, ſed vt etiam de harum rerum veritate conuincantur; quod tantum abeſt, vt, omiſſa accurata *temporis locique* determinatione, obtineri poſſit, vt hiſtoria talis *fabellae* inſtar euadat. Sicuti igitur operam perderent camporum terminos delineaturi, ſi illam menſuram typo appingere obliuiſcerentur, ad quam reuocari aeſtimatio a luſtrantibus debet: ita liberari a vitio neutiquam poſſet pagina ſacra, ſi rerum geſtarum ſeriem nobis exhibitura, normam illam directricem & clauem, quibus recludi terminus τȣ שנה debet, non adiunxiſſet. Iam, quum eam nuſpiam expreſſe adiectam reperiamus, dolus autem & culpa tam longe abſint a diuiniore codice, quantum veritas & perſpicuitas in eo regnat: conſequitur *ex nexu*, tamquam indice locupletiſſimo, annorum, quorum mentio fit, ambitum eſſe diiudicandum. *Genealogiarum* ſacrarum nemo non concedit accuratiſſimam (*l*) catenam eſſe, modo maxime *naturali*, qui legenti cuique ſuccurrit, intelligendarum; quid igitur vero eſt ſimilius, quam vt chronologia, quae illius quaſi clauiculis compacta, immo illi intexta eſt aeque naturali valore gaudeat, quem prudentior quisque interpres facile diuinare & coniectura conſequi poteſt. Quid fuiſſet, quod *miraretur Iacobus vitae ſuae breuitatem* cum longinquitate patrum collatam, ſi, poſt debachatam magnam aquarum inundationem, annum vnum vnus menſis effeciſſet. Qui perpendit, quam tenaces, quam mordicus tenaces auitarum traditionum ſemper fuerint Iudaei, in alia omnia abibit potius quam in eam ſententiam, eos deinde patrum ſuorum calculum, quaſi diuerſum a ſuo, deſeruiſſe, illumque priorem, ab illo quo iam (*m*) vtuntur, & qui ad noſtratem proxime

(*l*) Quamquis enim anni dimidii in cenſum Gen. V. non referantur: calculus tamen non fallit, quia coniicere licet; id quod anno huic integro deeſt, per id, quod illi abundat, compenſari, ita, vt abundantia temporis, *ſemeſtre excedentis* pro *integro anno* habeatur, & illud non aequantis *nullo* in numero ſit. In breuiarium Moſaicum numerorum fractiones non cadebant, nomina facile turbantes.

(*m*) Vtuntur anno lunari, qui eſt dierum 355, &, ſi intercalaris, 388.

ximeaccedit, diſcrepare. Vt nihil dicam de annis 430. Gal. III. 17. coll. Exod. XII. 40. Act. VII. 6. quos Paulus cum epocha ſui temporis conciliare debuiſſet ſi 430. menſes indicarentur; fauent argumentis noſtris annales omnium cultiorum (n) gentium antiquiſſimarum, Aegyptiorum in primis, qui iisdem cancellis annum circumſcripſerunt, quibus Ebraei. Sin ſecus, enim Iacobo cum Pharaone colloquenti anni 147. Gen. XXXVII. 9. reducendi fuiſſent ad calculum Aegyptiorum, ſi intelligi voluiſſet. Sententiis contrariis in aciem productis, noſtra ne firmiori ſtet talo, tum demum perſpectum erit exploratumque. Fac enim, ante cataclyſmum *vno menſe conſtitiſſe annum*; quid tunc opus fuiſſet in lingua primigenia duabus diuerſis vocibus שנה & חדש, & quid eſſet, cur vtraque tam curate in conſignata diluuii hiſtoria diſtinguerentur? num prius quam anno M. 138. erupiſſet diluuium, & ſi diuiſeris hos 138. annos, quot tandem ſortietur, ſingulorum X. patriarcharum vita? Si poſt ſaeuam illam aquarum illuuiem demum annus tam breuis ſpatii haberi coepit; nonne videmus obſtare abſurdum inde ſequuturum, ſingularia XII. Menſium nomina in caſſum nominari, Abrahamum non natum annos 86. ſed 7. ſuſcepiſſe Iſmaelem, & ab octenni Abrahamo genitum eſſe Iſaacum, quod contra Gen. XVII. 17. dum ortum filii ob ſenium ſperari vix poſſe putabat; templum Salomonaeum tam ſplendidum tam amplum non intra VII. annos ſed menſes eſſe ad coronidem perductum; quae ſingula ne ſpeciem quidem veri prae ſe ferunt.

Vocamur nunc a commonſtrata tantae longaeuitatis veritate ad diſquiſitionem cauſſarum, quae illos primaeuos ad tam admirabile aetatis faſtigium euexerunt, ***extra ipſos***, & ***in ipſis*** quaerendarum, atque, vt per partes eamus, partim ex ***totius vniuerſi*** conditione, partim ***ex parentibus*** ſenis cuiusque, partim ***ex ipſis ſenibus***, partim denique ***ex poſteris*** ſeu ***ſingulari ſcopo atque prouiſione Dei*** deriuandarum; quae niſi con-

(n) Oenopides Chius, Geometriae & Aſtronomiae ſtudio celebris annum naturalem *dies habere* tradidit 365. & *dierum duum & viginti vndeſexageſimam partem* Cenſorin. de die nat. c. 19. Io. Schefferus ad Aelian. Lib. X. c. 7; quem cyclum a ſacerdotibus Aegyptiis didicit. Diod. Sic. Aeg. Lib. I ſect. II. pag. 62. Τὸν Οἰνοπίδην συνδιατρίψαντα τοῖς ἱερεῦσι καὶ ἀστρολόγοις μαθεῖν ἄλλα τε καὶ μάλιστα τὸν ἡλιακὸν κύκλον, ὡς λοξὴν μὲν ἔχει πορείαν cet. conf. Scaliger de emend. temp. Lib. II.

coniunctim considerentur, rationem sufficientem non constituunt. Neque vero nunc proferemus, eam *vniuersam regionem*, in quam Adamus, ad ligonem damnatus, concessit, qua in colenda posteri eius etiam desudarunt, Paradiso, vti videtur, vicinam, (o) id est amenissimam fertilissimamque fuisse; quantae enim Babyloniae laudes; (p) neque attingemus, *sedes* cuiusque patriarchae ipsas, tum quia in *tentoriis* patulis & perflatilibus, tum quia ad *siluas*, salubres illas mansiones, tum quia ad limpidos *fontes* esse solebant, ita fuisse comparatas, vt protracta vita suauiter senescere potuerint; sed illud modo contendemus, ante horrendum illum per aquas rerum interitum insigniori caeli clementia aerisque temperie & salubriori aqua homines illos, aeuo obsitos, fructos esse, hoc citra bonitatis sapientiaeque diuinae vituperium, nec sine egregia veritatis specie statui. (q) Atque quum conspectam imbellem columbam non coniiciamus a strenua aquila progeneratam esse, vnumquodque raro a virtute naturali, nunquam a natura degenerare, persuasi: meditantes maximi senii caussas, non possumus non in eam cogitationem incidere, in *parentibus* plurimum earum residere, vt qui non minus, quam ipse Adamus, modo e diuina fabrica missus & quasi tepens, sanum corpus ad procreandam sobolem attulerunt, neque tot corruptelis vitiati, & debilitati, neque inter plures coniuges diuisi, sed vigore integro, abstinentia casta, στοργῇ impensa, iam in ipsa conceptione dotabant bene cocta & matura fetus stamina eo robore, quod seris annis sufficeret. Ecquis in culpa breuioris vitae esse tales parentes ambigat, qui naturae cognitione destituti, partim *crudelius* in paren-

(o) LXX. interpretes de suo addunt: collocauit Deus hominem ἀπέναντι τȣ̃ παραδείσȣ τῆς τρυφῆς.

(p) Curt. Lib. V. c. 1. Plin. Lib. XVIII. c. 17.

(q) Gen. VI. 13. C. IX. 11. vel si Thomae Burneti cometam exhalantem Theor. Telluris sac. Lib. I. aeque ac Sturmii sphaeram cristallinam diluuio destructam reiicis. Scheuchzer Phys. S. Iobi. p. 324. sequ. Io. Iac. Schmidt biblischer physicus. pag. 32. Consideranda quae de exundatione *Nili* tempore Promethei Aegyptii, & Atlantis Mauri, de diluuio *Attico* tempore Ogygis regis Thebarum; de *Thessalico* magnam Graeciae partem, rege Deucalione, absumente, veteres referunt, quanta infectus aer contagia advocauerit. Inde traditio apud Aegyptios: primos homines belluinam vitam degisse, sapidissimam quamuqe herbam, ac sponte natos arborum fructus comedisse Diod. Lib. I. sect. I. pag. 6. D.

corpuſcula ſuorum ciborum diuerſitate aerisque iniuria animaduerti non curant, partim nimis *molliter* cuticulam habent, eosque ab unguiculis vsque ad effeminatam Sybaritarum ſocietatem tranſire iubent? Sed palmariam omiſiſſemus cauſſam, ſi non eorum quoque faceremus mentionem, quae, ſicut a viuentis cuiusque pendent arbitrio, ita huius lucis vſuram vel diuturniorem vel breuiorem praeſtant. Nam ſi tam *multum* ingurgitaſſent illi ſeſqui ſenes, quam hodie heluones, quibus ſaepe quidem poteſtas zytho, vino, epulisque ſe obruendi, numquam animus deeſt; ſi tam *multa* ſeu varia, ſaltem ex variis, immo peregrinis ingenioſe compoſita conſumſiſſent; ſi genio *intempeſtiue* indulſiſſent (*r*) haud ſane per miraculum ad tam longam vitae metam perueniſſent. Iam ipſe euentus laudem temperantiae, vel ſi ea litteris nominatim non prodita eſſet, iis condicit. Nec enim ad voluptatem ſed vtilitatem cuncta retulerunt; *ſimplex & maxime naturalis* victus, *idem* victus, *ſimpliciterque apparatus*, *modica* potus cibique portio corporis vires refecit; nulla aromatum ſibi inuicem infeſtorum opipara farrago venenauit fercula, nulla ſacharorum miſcela; lacte, radicibus oleribusque domeſticis (*s*) delectati ſunt, quorum virtutibus magis magisque explorandis peritiſſimi quique fuere intenti. Quumque vel rei pecuariae dediti, vel in re hortenſi & agraria, occupati, ruſticando victum ſibi quaeritarent: laborioſis corporis motus (*t*) illis magis profuit, quam commodiſſima, quae audit, vita ſedentaria inertibus, ſi qui ſunt, fucis, delicatulis hominibus, qui aliquid modici ſudoris ſibi numquam excitant. Nec temere coniicias, quum bene mane e lectulo ſurrexiſſe dictitentur cani illi, quoties negotium aliquod ſubeundum fuit, eos *ſomno moderate vti ſolitos* eſſe, quippe qui ultra modum captus aeque nocet ac cibi abundantia; quo pacto eos eo melius valetudini conſuluiſſe ſuae credas, quo vtilior eſſe aura matutina, inter labores hauſta, a medi-

B cinae

(*r*) Sirac. XXXVII. 34.

(*s*) Gen. I. 29. C. III. 18. Coll. Gen. XXVII.

(*t*) Ob motum & eundem victum beſtiae in primis *ferae* ad multam aetatem aſcendunt, quanquam eius gradus a cuiusque ſpeciei natura iam ex parte praeſtabiliti, verumque ſit; *quo quod animans maiori eſt ſtatura, eo illud maiorem ſortiri aetatem.* Cameli 100, Elephanti 300. annos ſuperare ſolent. In lacu Heilbruntcio ſub Frid. II. captus eſt *magnus piſcis*, 267. annos ante pinnis annulo implicatus. *Maiores anſeres* ſaepe annum 60. attingunt.

cinae peritis describitur. Immo vero, quum nihil aeque senectutem occiduam acceleret ac impotentes feminarum amores, scopuli, multorum infames exitiis; & patres isti, (quippe nondum erant, quae ad illos seducerent turpium exemplorum lenocinia) ad naturae leges sese conformantes, prolem ante annum aetatis 65. non intenderent: (u) qui factum sit, vt grandiorem aetatem, quam postdiluuiani, amantes idemtidem vt qui perditissime, portarent, palam est. Denique singularis erga DEVM reuerentia, (x) qua a teneris inde imbuebantur, & confirmabantur vel ad aetatis longinquitatem eo usque conduxit, vt incridibili quadam animi fortitudine contra omnes malorum procellas armati, a concitatioribus liberi essent animi motibus, vt, si scelus famam incestaret, vel alia omnia moliretur, nec tamen se ira absumerent, nec inuidia macerarent, nec altercationibus fatigarent, nec diuitiis inhiando exanimarent, nec quam diu, sed quam bene uixerint cogitarent. Qua via si nos iiscum pari passu ambularemus, implacabile odium contra ea, quae interitum nobis adferunt, alentes; aliquanto saltem ampliorem vitae terminum figerent Parcae. (y)

Quamuis vero ista grandaeuorum decas maiorum nostrorum ita se gesserit omnino, vt tamquam exemplum frugalitatis, continentiae, tolerantiae, omniumque virtutum proponi possit: paullo tamen iniquius in omne propemodum genus humanum censeret, & optimos quosque damnaret, qui, ex solis cuiuscumque moribus tam breuem redundare vitam, adfirmauerit, quum vtique sapientissimae Dei voluntatis ratio haberi debeat, quantum illa singulis ad viuendum tempus praescriptum velit. Adamus quidem vt fieret annoso venerabilis aeuo, (z) euenisse videtur, tum vt ad CHRISTUM, meliorem Adamum, eumque aeternum etiam aliqua senectutis similitudine accederet, tum vt ipse doctus, quam exitiale sit, Numen supremum neglectim habuisse, non tam culpam suam poste-

(u) Conf. Gen. V. Methusalah, qui annis inter omnes eminet, serissime filios suscepit, annos 187. habens.

(x) 1. Tim. IV. 8. Sir. XXX. 26.

(y) Longae vitae exempla sunt in Plin. H. N. L. VII. 48. 49. & si ea, quae proxima tempora praebent, adnumerarentur, plenas dare ceras possemus.

(z) Si reputamus, Adamum statim virili statura perfectum esse: idem est, ac si vltra 930. annos 40. vixisset, & ante iuisset aetate Methusalam.

posteris excusaret, quam ad cautius mercandum admonendo, praeclaro exemplo praelucendo, & semen mulieris, tamquam bonae spei signum commendando, eos ad virtutem formaret, verumque DEI cultum ad posteros transmitteret. Cuius enim verba fuerint spirantiora? cuius efficaciora? Praeter has singulares rationes ideo tam late ceterorum patuisse vitae spatium, vt propagato celerius mortalium genere, citius haberet nascens hic terrarum orbis incolas, qui agnitas virtutes diuinas rite venerarentur, constat ex illa Gen. V. iterum iterumque repetita formula: *genuit filios filiasque*. Nonne per integrorum decursus saeculorum domino suo, homine, puta, caruissent terrae? Nonne opus fuit, ne numerus animantium iuxta atque ceterarum rerum nimis inualesceret, vt pari fecunditate atque celeritate augerentur ii, ad quos potissimum pertinent; idque prorogando parentum vitae curriculo? Iam quidem multitudo hominum efficere videtur, vt stadia contrahantur; &, quum DEO praefinitus sit dies nouissimus, huius mundi theatri catastrophen facturus, singulis vero re propria gaudendum sit, alii aliis locum faciant. Excogitanda fuerunt *necessaria* ad colendum agrum, exstruendas aedes *instrumenta* aliaque *vitae praesidia*, quorum inuentio fuit facilior senioribus tamquam sanioribus, diuturno rerum vsu obseruatione ac meditatione subactis; quem in finem quod longior vita requisita sit, quis non videt? An vero circumcisioris vitae breuitas eo tempore, quo monumenta reuelationis diuinae scripta nondum exstabant, quo sancti patres *viua* ceterorum *biblia* erant, *traditioni incorruptae* (aa) commoda fuisset? Certe necessitas exegit, essent, qui voluntatis diuinae, per diuturnius exercitium, certiores, toti coetui doctrina atque auctoritate praeessent, qui imperitos consultum venientes erudirent, conditarum rerum & ortae miseriae historiam panderent, de quibus mirum quantum somniant gentiles philosophi, malorum & audaciam refrenarent.

Nostra-

(aa) Vera Dei notitia vsque ad aetatem Iacobi *bis mille* annos per *solos tres* homines conseruari potuit, Adamum Methusalem & Semum. Nam Meth. natus 687. Adamus mortuus 930. Potuit igitur Adamum audire Methusalam (demtis 6. annis pueritiae) per 237. annos cet. Christ. Chemnit. quaest. ad gen. qu. I. ad cap. 5.

Nostrotibus saeculo tale senectae culme
denegare soleat, haesitamus; nec id quider
humanarum caligine, & certa sempiternae
posita. Faciat certe vitae breuitas breuem
intentiorem. Quo tamen magis perpendi
manipulus, quibus contigit esse aetate pro
TVAE, O NOSTER OPTIME! metuimus,
mortique intractabili templum numquam e
cupatum sit a deastrorum cultoribus: nulli t
tisque arbitrum, DEVM, qui casta suspir
mis precibus hoc ipso die occupare; per hu
ex voto fortunandum annum ad summa qu
Si non minus iucundi atque illustres sunt ii
quam quibus nascimur, quod sine sensu na
seruamur: ferrei simus, si non mirum in n
ce delectaremur, & animi corporisque TVI
esse exsultaremus. Spe vero laeti, vt plura
mus: *cura vt valeas!* vel potius, *faxit*
vt valeas, vt gaud



ae culmen propitius an iratus Deus iam d quidem temere in teterrima rerum piternae ac beatissimae lucis spe prò- breuem vitam cariorem & ad fenus perpendimus, quam exilis eorum sit tate prouectioribus, eo magis vitae tuimus, atque licet inexorabili fato, nquam exstructum, aut votum nun- s: nulli tamen dubitamus, vitae mor- ta suspiria non destituit, ardentissi- ; per hunc, quem inis, climactericum imma quaeque TE scandere vt iubeat. es sunt ii dies, quibus conseruamur, sensu nascimur, cum voluptate con- rum in modum hac auspicatissima lu- que TVI vires senio nondum infractas vt plura coram; nil nisi hoc adiici- , *faxit prouidentissimum Numen, vt gaudeas!*

